





~~SM.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VI-73. ———  
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



D. O. M. A. 18  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**COPULA EST,  
AN SIT CAPAX  
TROI?**

Opposita potissimum Danieli Chamiero,  
*Quam,*  
In florentissimâ Academiâ VVittebergenfi  
P R Æ S I D E

**M. JOHANNNE JACOBO Fesler**  
Ulmâ-Svevo

*Ad XXIIIX. Aprilis A. C. M. DC. LXIX.*  
Disquisitioni publicæ subicit  
**JOHANN. JACOBUS Hoffmann**  
Nordlingâ Rhetus

*In Auditorio Minori  
Horis antemeridianis.*

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.









B.C.D.

*Praemium.*

Εὐφραταῖον καὶ ἀνεοσιωτάτον, i.e. convenientissimum ac vulgatissimum decipiendi ac sophisticandi modum putat Philosophus l. 1. Elench. Sophist. c. 1. nominum ambiguitatem. Inter innumera hujus rei exempla, velut Sol inter stellas, elucet hoc, quod Tropologistæ Calviniani nobis obtrudere volunt, quando copula Est naturam propriam & genuinam in impropriam & tropicam pervertunt. Hoc inter alios magno molimine, omnique nisu efficere conatus est Doctissimus aliàs Vir Daniel Chamier in panstr. suâ T. 4. l. 10. de Euchar. c. 2. cujus rationes in presenti dissertatione pro ingenii modulo examinare, ostendereq; copulam tropi capacem haud esse, animus est. Interea ex intimo cordis serinio

Adsis, Deus alme, precamur,

O Deus adspira coeptis, DEUS, annue votis!

Thesis I.

**N**E autem ambiguitas vocis, erroris aliàs genitrix, remoram nobis injiciat, ante omnia vocabuli EST varia acceptio lustranda venit; deinde verò germana & genuina significatio, quæ fundamentum solvendis adversarii argumentis præbet, indicanda & subjicienda est. Igitur (1) vocabulum EST capitur hîc non in sensu Oratoribus usurpari consveto; Hi enim *Est* in structura syntacticâ quandoq; ponunt pro *Habeo*, ex. gr. quando dicunt. *Est mihi pater. Est mihi noverca*, nihil aliud indicare volunt, quam habeo patrem, habeo novercam. Dixi autem, quod probè notandum, in structurâ Syntacticâ, quia extra Syntaxin & orationis complexum *Est* & *Habeo* nullam habent convenientiam, ut permutari invicem possint. Vid. hæc contra *Goclenium disputantem. B. Dn. D. Finckium part. 1. Schediasm. p. m. 143.* Neq; (2) in sensu Poëtis accommodato: sic v. c. *Terentius in Heaut.* Nostrarum est intelligere, utcunque atque ubicunque



que opus sit, obsequi. Hæc in sententiâ vocula Est, non munus  
obit copulandi, sed idem denotat ac si dicerem, ad me spectat, ad  
me pertinet. Cum autem hæc acceptiones paulò alieniores à  
nostro instituto sint, ad alias pedem promoveo. Et (3) ἴδ Est hic  
non notat obscurarum locutionum per clariores explicationem.  
Frequenter enim in uberiore explicatione propositionum & sen-  
tentiarum &c. hæc verba, Hoc Est, subjunguntur, quasi diceretur,  
hoc est verborum contentum, id sibi volunt hæc verba. Malè  
hunc significatum ad obtinendum ἴδ Est σημαίνον in verbis ἴδ S.  
Cœnæ applicavit Bergius. vid. *Magnif. atq; summè Reverendiss  
Dn. D. Calovius Præceptor Venerandus in Stereom. contra Bergium p.  
m. 129.* Neque (4) quatenus nonnunquam infert, antitypi per ty-  
pum præfigurationem, ut si dico, Arca Noæ est Ecclesia, sensus  
propullulat, Arca Noæ præfiguravit Ecclesiam, vel fuit typus Ec-  
clesiæ. Hic copula Est typicum & præfigurativum audit, non  
præcisè quatenus est copula, sic enim omnis copula esset typica,  
& præfigurativa, sed quatenus, tanquam *περὸς καὶ ἡγορημένον*, ad  
prædicatum typum sustinens refertur. Porro hic in controver-  
siam non venit ἴδ Est secundi adjecti; hoc enim præter copulan-  
di officium rei existentiam, aut ad minimum ex mente *D. Horneji  
in Instit. Log. l. 3. q. XX.* (hanc controversiâ autem hic dirimere no-  
lumus) habens essentiam, ex *5. Metaph. c. 7.* secum importat, ut cum  
dico Cælum est, ἴδ Est hic non nudè copulat, sed præter hoc ul-  
terius existentiam cœli connotat, sensusque est. Cælum est  
existens.

§. II. Remoris hisce acceptionibus, jam ἴδ Est in natura co-  
pulæ enodandum venit. In quonam verò formaliter natura &  
officium copulæ consistat? res non caret difficultate; Nonnulli  
ἴδ Est nudum copulandi officium assignant, alii autem officio co-  
pulandi superaddunt etiam officium identificandi. *B. Slevogtus in  
disp. Acad. disp. 1. §. X.* scribit. *Officium copulæ Est, non tam consistere  
in hoc, quod prædicatum subiecto uniat, sed potius, quod significet sub-  
jectum & prædicatum esse idem.* Alii verò utrumque munus in  
copulâ ut sic combinant. Nos asserimus copulam in se specta-  
tam



tam, quatenus applicabilis est omnibus enunciationibus, tam directis, quam indirectis, tam naturalibus, quam illis, quæ contra vel præter naturam sunt, tam realibus, quam non realibus &c. præter copulandi & uniendi munus nihil aliud secum importare. *Ὁὐὸψηφον* hæc in parte habemus *B. Dn. D. Dank* a verum in *Ideâ Bon. Disp. p. m. 243.* τὸ *Est*, inquit, *tertij adjecti* (quod nihil aliud quam copula) *aliquando solum significat propositionis veritatem, & præter copulandi officium, non habet aliud.* Ex. gr. cum dico, Nihil est nihil, in hæc propositione copula *Est*, non nisi officio uniendi & copulandi Subjectum & prædicatum fungitur; nulla namque inter *ἴο* nihil & nihil identitas intercedere potest. Porro in propositionibus causalibus & concomitantibus inter subjectum & prædicatum nulla invenitur identitas, ut si dico: Præsentia Solis est dies. *Vulnus in corde est mors.* item. *Unius generatio est alterius corruptio.* In his propositionibus identitas inter subjectum & prædicatum non reperitur, sed unum tantum ab altero procedere, aut unum cum altero esse significatur. *vid. D. Hornejus in Comp. Dialect. p. m. 5.* Patet ergo ex dictis, quod copula præcisè & in se considerata præter officium uniendi habeat aliud nullum. Quando autem contingit, ut identitas subjecti & prædicati in enunciationibus præstò sit, sive deinde sit essentialis, sive accidentalis, sive propria, sive tropica, id omne profectum ex habitudine subjecti & prædicati putandum est.

§ III. Antequam ad caput causæ accedamus, observandum porro, copulam in propositionibus esse saltim adscititium quoddam medium, necessitatis causa, & ob defectum vocabulorum introductum. Unde non est peculiaris & tertia enunciationis, à subjecto & prædicato distincta pars: uti quidem Calviniani ob tropum in copula comminiscendum communiter statuunt; sed *περὸν ἀληγορῶν* ad prædicativum, uti à Philosopho passim nuncupatur, affectio verbi, quæ prædicatum suo subjecto pronaturâ & exigentiâ unit atq; copulat, proprium propriè, improprium impropriè: *Conf. B. Jac. Martini in Instit. Log. l. 3. c. 3. p. m. 226.* *B. Sebarsius in Exerc. Log. Exerc. 9. axiom. 3. Jac. Saurius l. 2. Syntagm. Log. p. m. 242. alijs, quam plurimi.*

A B

§ IV.



§.IV. Circa statum quæstionis amplius sciendum, quanam  
 sit natura tropi. Tropus verò ex decreto communi Rhetorum  
 (vid. interea B. Dn. D. Dietericus in *Instit. Rhet.* l. I. p. 5. Vosius in *part.*  
*Orat.* c. 3. p. 311. B. Dn. D. Danhaverus in *Epit. Rhet.* p. 35. Excellentis-  
 mus Dn. Kirchmajerus *Præceptor ætatem Honorandus* in *Medull. Or-*  
*nat. Tabell. de Tropis*) est vocis à propriâ significatione in alienam ne-  
 cessitatis & ornatus gratiâ conveniens immutatio. Dicitur (α) vo-  
 cis, ut excludatur figura, quæ est in vocibus pluribus & conjun-  
 ctis. (β) à propriâ significatione; quæ rei significandæ ex arbitrio  
 hominum primo, propriè & soli fuit imposita. (γ) in alienam,  
 non quæ planè peregrina, inusitata & barbara, sed talis, quæ ad  
 rem primò & propriè exprimendam non fuit ad inventa: perinde  
 ergo est ad vocis alienæ fabrefactionem sive habeat convenien-  
 tiam & similitudinem quandam cum re, cui vox primò & pro-  
 priè fuit imposita, sive non. Unde dimissio significationis ab-  
 solutè, ut si vox lupus denotat animal terrestre & sidus cœleste; &  
 κατὰ τι facta, ut cum animalia & medicamenta dicuntur sana,  
 non ita comparata est, ac si absoluta tantùm dimissio vocem pro-  
 priam, rebus pluribus applicatam, mutaret in alienam; κατὰ τι ve-  
 rò facta non item. Nonne enim aliud planè importat risus tri-  
 butus homini, quatenus nempe est facultas animæ rationalis, ad  
 lætitiâ repræsentandam ordinata. vid. B. Sperlingius in *Anthr.*  
*Phys.* l. I. c. 5. p. m. 234. & aliud prorsus risus, prætis qui dicitur inesse,  
 ille est realis animæ rationalis facultas, ad lætitiâ ex naturâ re-  
 præsentandam ordinata; hic nec realis est, nec ex naturâ ad re-  
 præsentandam lætitiâ ordinatus, sed unicè ex aspectione præ-  
 torum in intellectu hominis prognatus. (δ) conveniens. Omnis  
 enim tropus debet esse verecundus, ut deductus esse in alienum  
 locum, non irruisse videatur. (ε) immutatio & quidem totalis, non  
 saltem alterativa, quæ priorem vocis formam non immutat & ab-  
 sorbet, sed retinet, & aliquid addit, ut si ἴδ Est ponitur pro signifi-  
 cat, forma ἴδ Est non aufertur, sed manet implicitè in verbo si-  
 gnificat, quod in resolutione nihil aliud sonat, quam est signifi-  
 cans. ἴδδν γὰρ διαφέρει ἀνθρώπων ὀφθαλμῶν ἐστὶ καὶ ἀνθρώπων ὀ-  
 φθαλμοῦ l. d. *Metaph.* c. 7. v. 13.

§. V.



§. V. His omnibus ita digestis, quæritur jam. An particula EST sensu genuino explicata, quatenus subit officium copulæ, possit sustinere tropum, h. e. recedere à nativâ significatione & mutari in alienam? *Chamier l. cit.* affirmat, (propria verba adducere, ratio pagellarum non permittit) Nos contradictoriam, nempe quod particula Est, quatenus subit officium copulæ, non possit sustinere tropum, tenemus.

§. VI. Jam in eo ero, ut sententiam meam modis omnibus, quibus possum, propugnem. Primum argumentum expedio à naturâ particulæ Est supra explicatâ, desumptum. Est ea, ut vidimus, ut sit medium aliquod adscititium communissimum, quo omnes omnino conceptus, quocunq; veniant nomine, combinantur & copulantur. Jam verò naturæ tropi adversa est talis communitas, quia omnis tropus (consentientibus omnibus) debet esse vox significativa Logicè, qualis copula Est, suffragio communi Philosophorum neququam est: essent enim sic in omni enunciatione tres partes materiales, subjectum, copula & prædicatum, voces quippe significativæ, jam hunc in modum colligo. *Quicquid omnibus conceptibus est commune, & non resolvable in aliud, id in nullo conceptu particulari communitatem suam amittere potest, adeoq; in capax tropi.* Atqui copula Est omnibus conceptibus est communis & non resolvable in aliud. E. Major originem suam fert acceptam *Chamiero l. 10. de Euchar. c. 7. §. 20.* largitur enim quod Est secundi adjecti non possit esse capax tropi, hanc ob causam, quia sit commune omnibus rebus. h. e. quantum ex subjectis exemplis colligere licet, quia omnibus entibus in mundo existentibus competat & applicabile sit, ut dicere queam; Angelus est, homo est, cælum est, &c. Deinde etiam *l. cit. §. 13.* requirit *Chamier* resolvableitatem vocis, quæ capax tropi esse debet. Minor quoad prius firmatur inde, quia id commune est, quo mediante omnes omnino combinantur & conjunguntur conceptus, quoad posterius probatione longâ super sedere nos jubet. *B. Stizlius in Quest. Log. q. 38.* quod mox etiâ amplius probabimus. Ad hoc argumentum respondet *Chamier l. ita. Verbum Est nunquam figurate*



natè sumitur, quia vastissimam habet significationem. Atqui con-  
tra potius. Habet vastissimam significationem. Ergò interdum figu-  
ratè sumitur, nam profecto figura est aliqua significatio: itaq; non po-  
test non includi vastissimo illo significationis ambitu. argumentum  
in forma esset tale. Omne quod habet significationem vastissimam  
aut communissimam, illud etiam habet figuratam & tropicam. Atqui  
particula Est & c: E. Resp. (1) per instantiam. Particula Est Secun-  
di adjecti habet significationem vastissimam. E. erit capax tropi,  
quod non admittit, ut vidimus Chamier. (2) argumentor in simili.  
Influxus divinus est communis agentibus tum univocis, tum æ-  
quivocis, E. & ipse aliquando est & univocus & æquivocus, prius  
tamen ex decreto omnium Philosophorum est absurdum. (3) Di-  
stingvimus inter vocis significationem Grammaticam & Logi-  
cam, Verbum Est habet communissimam significationem, sed  
Grammaticam tantum, non verò Logicam, quæ tamen ad tro-  
pum sustinendum, ut supra probatum dedimus, requiritur. (4)  
hoc tantum sequitur, particula Est ob suam communitatem offi-  
cio suo potest fungi, & in prædicationibus propriis, & tropicis a-  
liisq; Sicut Ens ut sic neq; substantia est neq; accidens, ita e-  
tiam copula Est ut sic neq; est propria neq; tropica. Resp. II. Cha-  
mier. Verbum Est equè compositum ac reliqua. Nam ut amat re-  
solvitur in est amans, ita Est, in est ens. Item Herodes est Vulpes, si-  
gnificat, Herodem esse similem vulpi. Petra erat Christus, resolvitur,  
Petra erat significans Christum. Sic mille exemplis fit manifestum.  
Est, in figuris non esse simplicissimum, & posse resolvi. Verum do-  
ctissimus Vir hoc ipso magis magisque sese involvit difficultati-  
bus inextricabilibus: si enim (1) copula Est resolvitur in est ens,  
tum hæc propositio, nihil est nihil, ita erit resolvenda. Nihil  
est ens nihil, quâ resolutione absurdior excogitari nequit. Si  
(2) ut contendit adversarius, Est resolvendum in est ens, quæro,  
num & hoc debeat resolvi, quod si affirmaverit, absurdum in in-  
finitum progressum instituet, à quo ipsa abhorret natura, si nega-  
verit, negationis causam dare tenetur, quam non aliam inveniet,  
quam propriam à nobis explicatum copulæ officium. Deinde  
Chamier.



*Chamier* naturæ ordinem planè evertit alterâ suâ resolutione, quis quæso fando unquam audivit? Esse resolvi in significare; argumentor. *Ex quo aliquid non constat, in id resolvi non potest. At qui ly Esse non constat ex significat. E. ut adeò rectissimè B. Dn. D. Danbawerus in Hodom. Calvin. Phant. X. p. m. 3132. Est, ajunt Calviniani, ponitur pro significat. At in ipsa voce significat, laterò Est, quid enim est significat, nisi est significans.*

§.VII. Paramus jam aditum ad II. argumentum, quod ex naturâ tropi supra expositâ, depromitur: ita verò habet. *Omnis vox tropi capax est mutabilis de significatione nativâ in alienam. At quiò Est ουδυναξιόν non est mutabile de significatione nativâ in alienam. E. non est capax tropi.* Major roboratur ex definitione tropi ante traditâ ex communi Rhetorum, quorum judicio omninò standum, quicquid tergiversetur *Chamier*, doctrinâ. Tropum mutare significationem qui negat, contra communem sensum pugnat, & instrumentis artium vim facit. Mutatio significationis postulatur, quæ (verba sunt *B. Danbaweri*) quasi generativa prioris significationis & posterioris corruptiva non nudè alterativa. Subest enim, sicut in naturalibus mutationibus una materia, vox, sed variatur forma, significatio. Minor astruitur. Forma & naturâ copulæ consistit, ut vidimus, in hoc, ut uniat partes enunciationis; jam verò si copula munere uniendo privatur, ac aliud subit, tum ipsam enunciationem interire necesse est. ex gr. Si in hac propositione. Hoc est corpus meum, copula tropo affecta, amittit suam (unio) significationem, sequitur non amplius unita esse, Hoc & corpus, indeq; etiam non amplius esse propositionem. Cadat enim necesse est domus, si ab ejus compage unio officium removeris.

§.VIII. Robur hujus argumenti ut elidat *Chamier*, distinguit inter dimissionem & mutationem significationis absolute & κατὰ τι factam. Dicam planius, scribit, *Absolute dimittit significationem dico, cum sit prorsus alia: ut Taurus dimittit suam*  
B quâ



quâ designabatur animal tale, cum dicitur de monte in Arminiâ  
aut eam, quæ notabat animal rationale, cum aptatur Philosopho.  
κατά τι autem dico, cum significatio inducitur, non prorsus aliena  
sed vicina similisq̃. Fonseca Inst. Dialect. l. 1. c. 19. distinguit homo-  
nymia casu & consilio: illa quæ diversis omnino rationibus suis con-  
gruunt significatis. Ista quæ diversis quidem rationibus, sed ita ta-  
men, ut quodam modo sint eadem. Putat jam Chamier suffice-  
re ad tropum inflexio aliqua vocis, non semper verò mutatio-  
nem esse necessariam. Nam, pergit, cum dico prata rident, etsi  
verum sit, non ridere absolutè, quomodo ridet homo; tamen verum  
est, habere aliquid accedens ad hominem ridentem. Itaq̃, non  
mutatur absolutè & prorsus, sed inflectitur. Facit tandem applica-  
tionem & ita concludit. Quod accidere verbo, Esse, nihil  
habet absurdi, ut designet id, quod etsi revera non sit, quomodo re-  
vera prata non rident: tamen aliquid habeat accedens ad id quod  
est, quomodo prata ad ridentem. Resp. (1). distinctio inter di-  
missionem significationis absolutè & κατά τι factam causam  
Chamieri nihil planè promovet, ut supra probatum dedimus,  
licet enim unum alteri vicinum sit, aliud tamen adhucdum est,  
regio alteri vicina, alia tamen adhuc, civitas alteri vicina, ta-  
men alia, domus alteri vicina, & tamen alia, etsi propior. Et  
quod simile alteri, idem tamen cum eo non est, manet ergò  
tropum immutare significationem. (2) Fonseca frustra in  
subsidium vocatur, licet enim detur specialis aliqua ratio, sive  
in eo, qui dedit appellationem, sive in re ipsâ appellatâ; cur  
termini homonymici ex consilio facti ad hanc vel illam rem  
designandam adhibeantur; significatio tamen eorum non tan-  
tum inflectitur, sed penitus immutatur. Egregia hanc in rem  
sunt verba Christ: Noldij in Log. Recognita p. m. 20. Atq̃, eo,  
nempe ad homonymia, inquit, pertinent termini tropici, qui ob rati-  
onem aliquam specialem transferuntur, ab unâ re cui inditi sunt  
ad aliam. Sicut vox vulpes ad Herodem ob astutiam, lupus ad  
tyrannum ob rapacitatem & sevitiâ; sanitas [propria animali]  
ad motionem, cibos, lotium: patet ergò errare Chamierum, dum  
pu-



putat, significationem risus applicata pratis, tantum in flexu non verò penitus immutari. (3) *Chamier* sophistam agit egregium, quando concludit, à capacitate tropi in prædicato, ad capacitatem in copula Est, si quærat ex *Chamiero*, quare copulæ tropus accidere possit, responsionem deprehendere aliam nemo potest nisi hanc, quod quemadmodum ridere respectu pratorum sit tropi capax, ita & copula Est, Turpis Elenchus. (4) Concedamus *Chamiero* copulam Est designare aliquid, quod tamen revera tale non sit, nondum tamen tropum copulæ obtinuit *Chamier*, ratio, quia nuda illa designatio transcribenda copulæ nõ quâ tali, sed ad tale vel tale prædicatum relatæ, id quod ex ipso subjecto *Chamieri* exemplo de risu pratorum palam est. Verba elegantissima sunt, quæ hanc in rem habet *B. Leonh. Huttenus* in explic. *Form. Conc. art. 7. de S. Cæna p. m. 615.* In omni perfecta prædicatione, ubi prædicatum discretè exprimitur, copula (Est) nunquam per se καὶ ἵπποειται, sed semper συγκαταίτιον, ac proinde etiam hæc copula, si tropum sustinere debeat, nunquam sola illum sustinere potest, sed ex prædicato tropi rationem mutuari cogitur. Jam verò quamdiu in verbis Christi, prædicatum manet à tropo liberum, tamdiu etiam copula Est tropum omnem respuit, si quidem copula tanquam συγκαταίτιον semper sequitur natum prædicati.

§. IX. Priori autem præsidio depulsus *Chamier*, confugit jam in specie ad Ironiam in copula refulgentem; ita enim l. cit: colorem suæ causæ addere vult. Cum igitur, scribit, *Ironice dico. Petrus amat, significo, Petrum non amare. Quare cum resolvo Petrus est amans; significo etiam Petrum non esse amantem: ac proinde, ut verbum amat, affirmationem mutat in negationem, sic etiam verbum esse, quæ opposita significatio est. Habemus exemplum, Genes. 3. Ecce homo fuit (sic enim Hebraice; Grece ἐγένετο, Latine factus est) sicut unus ex nobis. Ubi Ironia est. Et Pererius. Hoc ferè omnes Interpretes censent à DEO dictum esse per Ironiam Resp. (1) absurdè. ad modum *Chamier* Ironiã in copula vult stabilire, hanc ob causam, quia τὸ ἀμῶν [prædicatum*



catum) potest Ironice per non amans exponi. Ergo & copu-  
 la Est per non est, ita ut negatio contrarium sensum inferens,  
 præcise requiescat in copulâ, non simul verò ipsum prædica-  
 tum afficiat. (2) Dictum hoc Gen: 3. si accuratè rem pondera-  
 mus non est ironice, sed potius assertivè exponendum. *Vid.*  
*Excellentissimus Dn Pfeifferus Præceptor ætatem honorandus in*  
*Colleg. Bibl. M. SS. Pent. II. Loc. 4.* Positò verò quod Ironicè ex-  
 ponendum sit, tamen intentum non probat, cum mutatio non  
 sit in copulâ, sed tota in prædicato. *Sive enim, inquit, B. Dn. D.*  
*Danbavverus in Hodom. Calvin. phantas. X. p. m. 3133. dicas Adam*  
*est sicut unus ex nobis, sive non est sicut unus ex nobis, semper ma-*  
*nebit copula, illuc affirmata, hic negata, evidentius id, si negatam in*  
*infinitam convertas. Adam est non unus, b. e. Adam est Jò deus*  
*sed non Jòto. Item sive dicas: primum est ridens, sive primum est*  
*simile ridenti, manet utrobiquè copula.* (3) positâ Ironia in copu-  
 la, copula amplius non manebit copula, quomodo enim quæ-  
 so copula porro uniet subjectum & prædicatum, quæ à se invi-  
 cem disserpit, separat & disjungit. *Argumentor. Per quod*  
*na. una copula auferitur, illud cum eadem conjungi nequit. Atqui*  
*per Ironiam in copula assertam natura copula auferitur. E. Ma-*  
*ior suâ luce radiat, Minor itidem clara est, quæ enim ita putan-*  
*tur per copulam conjungi revera disjunguntur. Confer. Sum-*  
*mus Theologus Dn. D. Calovius Præceptor ad ultimum halitum*  
*Venerandus in Stereom. cit. p. 133.* Quod tandem falsitatis con-  
 victus palinodiam canens de modificatione copulæ, passus est  
*Johannes Piscator Respons ad Hofman. p. 223. Quæcumq; inquit,*  
*ens, & quamcumq; varia sit habitudo prædicati ad subjectum, Ver-*  
*bum Est, videlicet copula, SIGNIFICATIONEM UNAM constan-*  
*ter retinet, videlicet significationem affirmandi.*

§ X. Sese ultro jam offert tertium argumentum, quod  
 ita habet. Omnis vox tropi capax est resolubilis ad locum a-  
 liquem Topicum. Atqui copula Est non est resolubilis ad lo-  
 cum aliquem Topicum. E. copula Est non est capax tropi.  
 Major adstruitur ex perfecta inductione omnium troporum,  
 more



more Ramæo si procedo, dicendum cum *B. D. Dieterico in Ca-  
 sch. de Cæna Dom. p. m. 909.* quod Metonymia referatur ad ar-  
 gumenta consentanea, Ironia ad dissentanea, Metaphora ad  
 comparata, Synecdoche ad distributionem. Si more Aristo-  
 telico, asserendum, quod Metaphora ex loco Topico de com-  
 paratis petatur, Ironia ex loco de oppositis, Metonymia ex lo-  
 co de causis, &c. Synecdoche ex loco de toto & partibus. Mi-  
 nor lucem inde capit, quia, ut jam aliquoties dictum, copula  
 Est præter nudam subjecti & prædicati unitatem nihil notat  
 amplius. Locus verò Topicus, definiente *B. Jacob. Martini in  
 Instit. Log. l. 5. de Syllog. Dialect. p. m. 436.* semper est vocabulum,  
 quo potissimum unum axioma ab alio discernitur. Deinde co-  
 pula Est est primum principium, in quod omnia verba, ex quo-  
 cunque tandem desumantur loco, resolvuntur, ipsum autem  
 (quicquid hic contra disputet supra circa hoc refutatus *Cha-  
 mier*) nusquam. *Amesius in Bellarmino Enerv. l. 4. de Eucharist.  
 c. 1. n. 27. cum Laurentio Valla l. 2. Dialect. c. 1.* in contrarium incli-  
 nat, ita enim inquit, (1) Non posse omnia verba in copulam Est re-  
 solvi: *Socrates docet, & Socrates docetur non possunt resolvi ut  
 eadem affectiones maneant, cause scilicet ad effectum, subjecti ad a-  
 ctum, qui circa illud verjatur. Panis fit corpus, & panis est factus  
 corpus non planè idem & unum sonant.* (2) copulam non esse ita sim-  
 plicem, quin differentia varietatem admittat, & aliquando acci-  
 dentem. Resp. Ad 1. (a) Logicam non respicere in suâ resolu-  
 tione ad affectiones, quæ subjecto aut prædicato competunt  
 secundum naturam & entitatem suam determinatam, quemad-  
 modum in conficiendis Syllogismis Alphabeticis nullus habe-  
 tur planè respectus ad materiam ullam, ita etiam in resolutio-  
 ne verbi in participium & verbum substantivum Est. Sit So-  
 crates, ex. gr. causa, quando docet, docere verò effectum, non ta-  
 men, quando hæc duo propositione Logicâ combinantur, ma-  
 nent eædem eadem Physicæ, causæ scilicet & effecti, contra o-  
 nem enim bonam Logicam prædicatur effectus de sua causa  
 sed potius adjunctum de suo subjecto prædicari videtur.



inde (β) quid prohiberet, si restringeremus præceptum de re-  
solvendo verbo in participium & verbum substantivum, ad  
verbum habens participium. *Vid. B. Stahlus in Quest. Log. q.*  
*38. §. 7.* (γ) quod quædam verba, Latina præcipue, resolvi ne-  
queant, id impossibilitati Logicæ imputandum haud est, sed  
potius impossibilitati Grammaticæ. Ut autem & hic defe-  
ctus tollatur duo à Logicis sunt inventa remedia, primum est,  
ut si in lingua nativâ resolutio fieri nequeat, peregrina in subsi-  
dium vocetur, ut si dico, Luna illuminatur, resolutio in lingua  
Latina ob defectum participii, fieri nequit, in subsidium ergo  
voco Græcam, & dico, Luna est *Φωτισμένη*. Secundum, per  
relationem subjecti ad prædicatum, ut ex. gr. Socrates est is, qui  
docetur. Resp. ad II. copulam per se nec unionem essentia-  
lem, nec accidentalem notare, sed esse indifferentem ad omne,  
quicquid notionis secundæ capax est, sive sit Ens, sive non Ens,  
sive substantia, sive accidens. Audiatur, si placet, *Amesius Job.*  
*Piscatorem Resp. ad Hofmann. p. 223.* qui ipsum erudiat his ver-  
bis. *Quæcumq; & quæcumq; varia sit habitudo prædicati ad*  
*subjectum, verbum Est, videlicet copula, significationem unam con-*  
*stanter retinet, videlicet significationem affirmandi. Non igitur*  
*ex habitudine prædicati ad subjectum significationem certam nan-*  
*ciscitur. Sic enim significatio ejus pro habitudine illa varia, &*  
*multiplici, redderetur ipsa quoq; varia & multiplex. Ex mate-*  
*riæ ergo substratæ diversitate est, quod alia unio sit essenti-<sup>alis</sup>,*  
*alia accidentalis. Rem declarat eleganter B. Dn. D. Danhav-*  
*erus in Hodom. Calvin. phant. X. p. 3135. Sicut, inquit, formaliter æ-*  
*quæ est unio, quæ est inter Angelum & corpus assumptum, ac illa, quæ*  
*est inter animam & corpus humanum, materialiter autem diverse*  
*sunt illa uniones, una ὁμοειδής, altera ἕτεροειδής. Sic mo-*  
*dus aureus & ligneus non differunt formaliter, in ratione mensuræ,*  
*differunt tamen materialiter. Cum hæc sententia per omnia*  
*convenit Chamier l. c. n. XX. qui conjunctionem univocam*  
*& æquivocam, ex diversitate materiæ accersit.*

§. XI. Verum objici posset. Quicquid notat identitatem  
tatem



tatem id ad locum similium referri potest. Atqui copula Est notat identitatem, E. ad locum similium referri potest. Major sua luce radiat, & Minor est in confesso. Resp. Verum est, similia notare quendam identitatem, identitas tamen nuda & cruda similitudinem non absolvit, sed requiritur insuper natura aliqua substrata, quæ basis & fundamentum est. Copula verò nonnunquam nudam terminorum identitatem significat; imò si ex mente *Schekij & Pacij* pronunciandum foret, profus nih. l. vid. *B. Stablium l. c. 9. 39.*

§. XII. Porro adhuc unum argumento nostro obesse videtur, quod nempe significatio uniendi copulæ transferri possit in significationem *ἁπλοῦς*, quod patet ex Syllogismis proslepticis, ex gr. si dico. Qualis Rex talis grex. Atqui Rex est improbus E. & grex, hic Syllogismus si ad liquidam bonamque formam reducendus erit, notandum, quod sicut in casibus obliquis, qui in Syllogismis occurrunt, instituitur resolutio in casus rectos, ita & h. l. pro particula *qualis & talis* ponendi casus recti, ut ita sensus Majoris sit. Qualitas Regis, est qualitas gregis. Improbitas est qualitas Regis, E. hic jam Sole meridiano clarius, copulam Est præ se ferre quendam *ἁπλοῦς*, similitudinem aut analogiam, quæ inter Regem & gregem prominet. Resp. Utrâq; manu largimur, in ejusmodi Syllogismis, subesse relationem aliquam similitudinis, sed quæritur jam de relationis illius fundamento, subjecto ac termino, nullum horum reperitur in copulâ uniendi officio fungente, sed in subjecto & prædicato enunciationis, quod hoc ostendo argumento. Quo sublato relatio non tollitur id nec fundamentum, nec subjectum, nec terminus est illius relationis. Atqui sublata unione relatio similitudinis non tollitur. E. Major non eget collustratione. Minor confirmatur ita ex gr. in hac propositione. Qualitas Regis est qualitas gregis, fundatur relatio quædam similitudinis, si verò jam addo copulæ est particulam Non, tunc tollitur unio inter subjectum & prædicatum, & tamen manet *ἁπλοῦς* illa, non in copula, sed unicè vel in subjecto vel prædicato quærenda.

§. XIII. Et hæc fuerunt hæctenus præcipua fundamenta,



ta, quibus capacitas tropi in copulâ denegata fuit, quoniam autem & testimonium humanum, in primis ex propria prolaturum domo, valorem aliquam probandi habet, *Franc. Gomarâ sententiam nostrâ ôµs ΨηΦov ad scribere è disp. 35. p. 139. placet. Alij, inquit, in copulâ Est, posita pro significat, tropum consistere arbitrantur, verum hic modus quoq; nec Rhetoricis, neq; Logicis principiis, neq; confesse Metonymiæ Sacramentalis hypothese videtur congruere. Nam primò, ubi non ponitur subjectum signatum pro adjuncto signo, nec contra, ibi non est Metonymia illa Sacramentalis. At qui ubi Est usurpatur pro significat, non ponitur subjectum significatum, pro adjuncto signo, nec contra. E. non est Metonymia illa Sacramentalis. Deinde nullum Est ἑστὸν πρὸν ἀνυποβέβηον seu συνηκείµενον tertio loco adjectum potest esse sedes tropi. At qui Est in hisce enunciatioibus, hoc est corpus meum &c. est tertio loco (inter subjectum scilicet & attributum) adjectum. E. non potest esse sedes tropi. Assumptio liquet: propositio verò ita demonstratur. Quod præter temporis circumstantiam & terminorum connexionem sive affirmationem attributi de subjecto, nullam rem significat, illud non potest esse sedes tropi. At qui Est tertio loco adjectum præter temporis circumstantiam & terminorum connexionem (unde verbalis copula dici solet) nullam rem significat. Ergò Est, tertio loco adjectum, non est sedes tropi. Propositionem allata è Quentiliano tropi definitio confirmat: Assumptionem Aristoteles docet, & simplicitas illius copulæ demonstrat: quia omnia verba in illam & in rem aliquam (ex quibus duobus significatio eorum conflata est) resolvuntur: ex gr. vivit, significat: in illo enim complexum, est vivens; in hoc verò est significans. Exempla, tum Sacra tum profana à Calvinianis allata, si quis soluta desiderat, illum remittimus ad B. Finckium in Schematism part. 1. Sched. 45. B. Meisnerum in Phil. Sobr. part. 1. Sect. 1. q. 3. p. m. 203. seq. Summe Rever. atq; Magnif: Dn. D. Calovium in Stearcom. contra Bergium p. 135.*

**M**Arte student alii volitare per ora Popelli  
 Debilis, ac strenui nomen habere viri.  
 Ast hoc arte facis, Phæbi dum castra pererras  
 Hosteq; cum Sophiæ prælia dura subis.  
 Perge alacri cursu rectam contingere metam  
 Sic studio capies præmia digna tuo.

PRÆSES.



Ung VI 73


ULB Halle 3  
004 108 515  









B.I.G.

Farbkarte #13



M. A. ACADEMICA

# LA EST, CAPAX

PI?

Danieli Chamicro,

miã VVittebergensi

S I D E

## ACOBO Feslen

Svevo

. C. M. DC. LXIX.

blicæ subjicit

## OBUS Hoffmann

Rhetus

o *Minori*

*meridianis.*

ERGÆ

CKARDI, Acad. Typogr.

